

favorem Provinciae praedictae S. Joannis Baptistae Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Discalceatorum hujusmodi, cum omnibus, & singulis, in eis contentis, apostolica auctoritate tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Quod possint erigere nova loca, cum sola Ordinarii licentia.

§.2. Et insuper modernis eidem Michaeli, & pro tempore existentibus Ministris Provincialibus, Custodi, Definitoribus, Guardianis, & Fratribus dicte Provinciae, ut quascumque Domo, sive Heremitoria, seu loca, si quae sibi a piis Christianis in Hispania partibus concedantur, recipere, & in illis Conventus sui Ordinis erigere, & fundare, servata tamen aliis Sacrorum Canonum, & Decretorum Sacri Concilii Tridentini forma, de sola Ordinarii loci licentia, ac nullo quarumvis aliarum personarum cujusvis Ordinis, Congregationis, aut Instituti Regularium desuper requisito consensu, ac in Domo sui Ordinis, & Provinciae praefatae, cum Ecclesia, sacris, campana, seu campanis humilibus, coemeteriis, claustris, refectorio, cellis, hortis, aliisque officinis, & aedificiis necessariis erigere, & fabricari facere, ac in illis Fratres sui Ordinis Discalceatorum introducere, atque in ipsarum Domorum Ecclesiis, postquam erectae, & fabricatae fuerint, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum pro infirmis aservare, ac divina officia celebrare, & Ecclesiastica Sacramenta ministrare, ut in ceteris Fratrum Discalceatorum eorumdem Domibus fieri solet.

Ac recipere ad habitum, & professionem.

§.3. Ac ejusdem Provinciae nunc, & pro tempore existentibus Ministris Provincialibus, seu Guardianis, sive alio quovis nomine nuncupatis Praelatis, ad quos de jure, & juxta regularia ejusdem Ordinis statuta, apostolica auctoritate confirmata spectat, & pertinet, ut quoscumque praedictum Discalceatorum Ordinem ingredi, & profiteri volentes, dummodo in qualibet distarum Domorum erigendarum tam Fratres professi, quam Novitii numerum triginta non excedant, juxta regularia ejusdem Ordinis instituta ad habitum, & professionem recipere, & admittere, ac cum aliis Religionis professis incorporare libere, & licite valeant, licentiam, & facultatem perpetuo concedimus.

Quod moderentur cum solis statutis Reform.

§.4. Praeterea, quod Provincia praefata, illiusque Fratres, & Conventus suis aetioribus Constitutionibus, & Statutis, quae in pleno Capitulo Provinciali a majori parte Capituli recepta, & stabilita fuerint, gubernentur, nec ad observanda Statuta generalia a Capitulis, vel Congregationibus Generalibus Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum jam facta, vel pro tempore facienda, nec ad specialia ejusdem Ordinis Superiorum mandata, quae Ministri Pro-

vincialis, Custodis, & Definitorum Provinciae judicio fuerint distorum Fratrum Discalceatorum reformationi, aut commodo dissentanea, teneantur.

Quod Congreg. convocare possint.

§.5. Quod Ministri, seu Praelati Provinciales, Congregationes particulares, quas Definitoriales vocant, quando, & ubi commodius sibi visum fuerit, libere, & licite convocare, & celebrare, ac in eis quascumque electiones Guardianorum, & aliorum Officiorum facere, & quascumque causas, sive civiles, sive criminales, & negotia ad eandem Provinciam spectantia juxta formam Sacrorum Canonum, & regularium Statutorum, & suarum Constitutionum Provincialium tractare, definire, & sententiarum possint. Quodque Praelati Generales ejusdem Ordinis hujusmodi Congregationes particulares Definitorum, aut earum electiones, seu definitiones, vel decreta, & sententias nequaquam impedire, immutare, nec dilatare valeant.

Quod Provincia non possit visitari nisi per visitatorem Discalce.

§.6. Quod dicte Provincia, ejusque nunc, & pro tempore existentes Conventus, & Fratres, nisi per Fratres Visitatores alicujus Provinciae Discalceatorum, hujusmodi, a Praelatis tamen generalibus deputandos, nullatenus visitari, aut indicari possint: quodque hujusmodi Visitatores Discalceati in dictam Provinciam ingredi, aut in ea aliquam jurisdictionem exercere non valeant, nisi tempore statuto circa finem triennii Ministri Provincialis, nempe post duos annos, & septem menses Provincialatus cujuslibet Ministri Provincialis ejusdem Provinciae transactos, & non antea. Tales autem Visitatores omnia Statuta Provincialia ejusdem Provinciae observare, & juxta illorum tenorem, & praescriptum Provinciam visitare, & gubernare debeant, & teneantur, nec in eisdem statutis, nisi de consensu majoris partis Definitorum plene dispensare valeant, quamvis hoc idem in literis patentibus, & authenticis a Praelatis generalibus, aliisque Superioribus specialiter iisdem indultum, & concessum fuerit.

Punitiones sunt post celebrationem Capit.

§.7. Ut autem omnes ambitionis, & injustitiae occasiones, quae sub simulato, ac apparentis reformationis, & reformationis zelo obrepere solent, e medio penitus evellantur, postquam praedicti Visitatores Commissarii suam jurisdictionem, & Visitacionem in Provincia hujusmodi ceperint exercere, nulli Guardiani, nullique Vocales, quibus concursus ad Capitulum proxime futurum de jure competit, possint ante ipsum celebratum Capitulum ob aliquam, seu aliquas causas ab officio removeri, nec voce activa, aut passiva privari: Si autem in ipsa visitatione aliquibus delictis, & culpis quidam praefatorum reperiantur obnoxii, vel eorum punitio, & correctio post omnes electiones Capituli factas differatur, vel aliis canonicis, & regularibus poenis praeter privationem officii, ac vocis active, & passivae arbitrio Superiorum puniri debeant.

§.8. Insuper, quod Fratres ejusdem Pro-

vinciae Sancti Joannis Baptistae, ab ipsa sua Provincia per quoscumque Superiores abstrahi nequeant, ut ad Indos, vel alias partes, & Provincias remittantur, nisi de consensu Capituli Provincialis, vel Definitorii pleni ejusdem Provinciae. Et quod hujusmodi Superiores, quicumque illi sint, non possint Fratres praefatos licentiarum, ut in Domibus secularium, seu extra claustra habitent, nisi servata ad unguem forma a Clemente Praedecessore praefato praescripta in Bulla, seu Literis de Reformatione Regularium, incipientibus: Nullus omnino praetextu cujusvis privilegii, sub anno 1599. nempe quod tales licentiae nisi ex gravissima causa a Sede Apostolica approbata nullatenus concedantur, quae vero aliter concessae sint, ipso facto irritae, & nullae censentur, & Religiosi talibus licentiarum utentes statim ad claustra revocentur.

Quod gaudeant omnibus privilegiis, & immunitatibus provincialium.

§.9. Quodque possint iidem Fratres Discalceati intra septa domus regularis suae libros a bibliotheca de licentia Praelati abstrahere, & illis uti, dummodo postquam illis usi fuerint, eisdem Bibliothecis illos restituere procurent; ac demum Ministri Provinciali, Custodi, necnon Guardianis, Conventibus, & Fratribus universis dicte Provinciae nunc, & pro tempore existentibus, ut omnibus, & singulis gratis, indultis, & privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, indulgentiis, & literis apostolicis, tam Provincialis S. Josephi, & S. Pauli, quam quibusvis aliis ejusdem Ordinis Fratrum Discalceatorum Hispaniarum Provinciae nunc, & pro tempore Romanos Pontifices Praedecessores, ac per Sedem Apostolicam haecenus concessis, & impostero concedendis aequae, ac si ipsimet Provinciae S. Joannis Baptistae nominatim concessa fuissent, frui, potiri, & gaudere perpetuo possint, & valeant, auctoritate, & tenore praefatis pariter perpetuo concedimus, & indulgemus. Volumusque, statuimus, & ordinamus respectively, & insuper praecipimus Ministro, & Commissario Generalibus Ordinis Minorum Regularis Observantiae, & quibusvis Commissariis, & Visitatoribus ad dictam Provinciam S. Joannis Baptistae destinatis, ceterisque tam Praelatis, quam Subditis sub excommunicatione latae sententiae, ac privatione quorumcumque officiorum, & dignitatum eo ipso absque alia declaratione incurrendis; ne in praemissis Fratres praefatos Discalceatos Provinciae S. Joannis Baptistae hujusmodi libere gravari, aut quovis modo molestari permittant, quinimo praefata omnia privilegia, & indulta illis inviolabiliter observent, & observari faciant, ac per suas proprias literas, quoties pro parte praefatorum Fratrum Discalceatorum fuerint requisiti, favent, & assistant.

Executores deputatio.

§.10. Et nihilominus Venerabilibus Fratribus Valentino, & Granatensi Archiepiscopis, necnon Carthaginensi, Guadi-

xensi, Oriolensi, Dertusensi, & Illerdensi Episcopis, eorumque Vicariis Generalibus, seu Provisitoribus, ac dilecto filio Curiae Camerae Apostolicae Generali Auditori, per praesentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, praesentes literas, & in eis contenta quaecumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte eorumdem Fratrum Discalceatorum desuper fuerint requisiti solemniter publicent, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistant, faciantque auctoritate nostra eos praemissis omnibus, & singulis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos desuper per Praelatos Generales, & Visitatores praefatos quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles, & praemissis non parentes per sententias, censuras, & poenas Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, necnon legitimis super his habendis servatis processibus, censuras, & poenas praefatas illos incurrisse declarando, illisque etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Decretum irritans.

§.11. Decernentes praesentes literas nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae defectu, etiam eo quod in praemissis interesse habentes, vel Fratres de Observantia praefati, aut quicumque alii vocati non fuerint, notari, impugnari, redargui, infringi, retractari, aut quomodolibet in jus, vel controversiam revocari, sed semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, & fore, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ubique judicari, & definitum debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris nostri, per quam cavetur expresse, ne Professores Ordinum Mendicantium loca ad habitandum absque dicte Sedis licentia speciali, de prohibitione hujusmodi expressam mentionem facientes recipiant, & de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium ad iudicium, non trahatur, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac nostris literis, quae incipiunt: In Casbedra B. Patris Apostolorum Principis, de anno 1626. emanatis, ac quibusvis ejusdem Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam per Fratres Discalceatos hujusmodi acceptatis, praesertim Capitulum, seu Congregationem generalium quibus cavetur expresse, ne Fratres Discalceati hujusmodi, domum aliquam dicti eorum Ordinis absque expressa licentia Capituli Generalis, aut infra quin-

quinque leucas a Domo eorumdem Fratrum Minorum erigere audeant, privilegii quoque indultis, & Literis Apostolicis eidem Ordini Fratrum Minorum, illiusque Superioribus, & quibusvis Religiosis particularibus, aliisque personis, sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores presentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanens, ad promissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si Ministro, Commissario Generalibus, aut Fratribus dicti Ordinis Minorum de Observantia, seu quibusvis aliis communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Transumptis credi mandate.

§.12. Ceterum, quia difficile foret presentibus literas ad singula quaque loca, ubi necesse fuerit, deferri, volumus, & dicta auctoritate decernimus, quod transumptis earundem presentium, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate ecclesiastica constituta munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsi presentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensa.

Dat. die 15. Jun. 1639. An.XVI.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 15. Junii 1639. Pontificatus nostri Anno XVI.

DCXV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Erectio Alumnatus pro Abyssinis, ac Bracmani in Collegio Urbano de Propaganda Fide.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium ab ipsi marconia sumptum.

Onerosa pastoralis officii cura Nobis meritis licet imparibus divinitus demandata, ad ea potissimum procuranda. Nos jugiter impellit, per quae exterarum nationum sub infidelibus Principibus non corporum servitutem tantum, sed, quod miserimum est, animarum captivitatem

sustinentur Juvenibus sedissimis ignorantiae tenebris absolutis, ad pietatem, & optimos mores, ac disciplinas, sacrasque literas, quibus mundus illuminatur capefendum mediantibus novorum Alumnatum in hac nostra Urbe ceterarum omnium magistrarum erectionibus aditus aperitur, ut hoc medio illis in fidei catholicae hujuscumque Sanctae Sedis cultu educatis, & instructis, ac ad eorum Regiones postea reversis frangendi illic esurientibus panem suum spirituale, semitamque rectam, per quam ambulent, veritatisque lumen, & salutis viam edocendi, religionem catholicam in longinquis partibus, & earum esferatis gentibus restituendi, & propagandi possibilitas non negetur, unde Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, praesentium Nobis sanguine conjunctorum, in id facultates suas, etiam cum non modico ejusdem Urbis decore liberali manu erogare intendunt votis non solum apostolici favoris suffragium ultro adhibemus, sed etiam in tam eximia pietatis operis remunerationem eos, eorumque posteros condigna honoris prerogativa decoramus, aliasque desuper disponimus, & ordinamus, prout rerum, personarum, & temporum qualitatibus debite consideratis conspiciamus in Domino salubriter expedire.

§.1. Alias siquidem, seu nuper Nos votis dilecti filii nostri Fratris Antonii Barberini tituli tunc Sancti Honuphrii, nunc vero Sancti Petri ad Vincula nuncupat. Presbyteri Cardinalis Sancti Honuphrii nuncupat. nostri secundum carnem Fratris germani Majoris Poenitentiarum, & Bibliothecae Apostolicae Praefecti, uniusque ex ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus super negotiis de Fide Catholica propaganda deputatis annuere volentes unum Alumnatum pro duodecim pro tunc Alumnis certis modo, & forma tunc expressis qualificatis, & ex Gregorianorum, & Persarum, ac Nestorianorum, necnon Jacobitarum, & Melchitarum, atque Cophtorum nationibus, duobus videlicet pro qualibet, oriundis in Collegio de Propaganda Fide hujus Almae Urbis perpetuo creximus, & institimus, eique sic erecto, & instituto pro illius Alumnorum sustentatione, aliorumque onerum supportatione redditus annuos per dictum Fratrem Antonium Cardinalem assignatos, & tunc expressos etiam perpetuo concessimus, & assignavimus, ac jus nominandi Alumnos praedictos eidem Fratri Antonio Cardinali, & certis aliis tunc expressis personis sub certis modo, & forma etiam tunc expressis similiter perpetuo reservavimus, concessimus, & assignavimus, aliaque decrevimus, & statuimus, prout in nostris sub dat. videlicet: decimo Kalen. Aprilis, Pontificatus nostri Anno quatuordecimo confectis plenius continetur.

§.2. Cum autem, sicut Nobis nunc innotuit, idem Frater Antonius Cardinalis Sanctissimus, & dictae Romanae Ecclesiae utilissimum ejusdem Congregationis opus per

Refert duo. decim Alumnatus a Card. Ant. Barberino aliis erectis in Collegio Urbano, vide supra. n.611. p.191.

Mentemque ejusdem Card. alios tredecim fundandi;

Erigit Urbanus

per amplius promovere desiderans alium Alumnatum aliorum tredecim Alumnorum pro Aethiopia, sive Abissina, & Bracmana Indiarum Orientalium, & in earum defectum Armena nationibus, quas non minori operariorum ecclesiasticorum, quam priores, seu nationes supra expressas penuria laborare conspexit, etiam fundare, eidemque competentem dotem assignare, necnon jus nominandi sibi, & aliis, ut infra reservare intendat, seu dotem hujusmodi jam forsitan assignaverit;

Nationesque assignat, unde defuncti debeant.

Ac qualitates recipiendorum.

Et quid agendum sit, si contingat ex descriptis nationibus Alumnatus defecere.

Alumnos regulis Collegii ejusdem subiecte.

Juramentum ab eis praestatum.

§.3. Nos tam pium opus, quantum in Nobis est, confovere, & ad optatum finem perducere sinceris affectibus desiderantes, & ejusdem Antonii Cardinalis sanctissimum propositum hujusmodi plurimum in Domino commendantes, nostrarumque literarum praedictarum tenores etiam veriores, ac datas presentibus pro expressis habentes, motu proprio non ad alicujus desuper Nobis oblatam petitionis instantiam, sed ex certa scientia, meraque deliberatione nostris, ac de apostolica potestatis plenitudine in dicto Collegio de Propaganda Fide ultra alios jam ibi erectos, & institutos etiam unum alium Alumnatum aliorum tredecim Alumnorum septem videlicet pro Aethiopia, seu Abissina, sex aliorum vero pro Bracmana Indiarum Orientalium nationum hujusmodi Alumnus bonae complexionis, ac mente, & corpore sanis sine ullo corporali defectu non minoribus quindecim, nec majoribus viginti, seu viginti unius annorum in latina, vel Italica lingua aliquo modo introductis, ita tamen, ut si aliquando contingat aliqua vice non posse ex altera nationum hujusmodi pro explendis aliquibus, seu pluribus, vel etiam omnibus ejus locis vacantibus per triennium, a die vacationis hujusmodi Alumnus haberi elapso dicto triennio in locum vacantem, seu loca vacantia per neutrius nationis hujusmodi Alumnos impleri nequirit, vel nequirint tunc, & eo casu Alumnus nationis Armenae ad illum, vel illa assumantur, & admittantur, hoc tamen inter Alumnos nationis Armenae praefatae praelationis ordine servato, quod videlicet primo illi, qui Poloniam, & Russiam, & deinde, qui Constantinopolim, & postea qui Praecopentiam, Tartariam, & successive, qui Georgiam, demum vero, qui majorem, & minorem Armeniam, & Persiam incolunt, seu inhabitant in Alumnos hujusmodi assumantur.

§.4. Qui quidem tam Aethiopiae, sive Abissinae, & Bracmana, quam Armenae nationum hujusmodi, omnes, & singuli Alumnus praedicti sub Receptoris disciplina, & regimine, necnon sub Regulis, & Constitutionibus dicti Collegii de Propaganda Fide eo modo, quo ceteri illius Alumnus, qui de presentibus in ipso Collegio educantur, nulla prorsus inter eos constituta differentia vivere.

§.5. Et Bracmani videlicet juramentum a dicta Congregatione Alumnus Pon-

tificis praescriptum eo modo, quo jacet, Aethiopiae vero, seu Abissinae, & Armenae cum infra scripta moderatione, quod Aethiopiae, sive Abissinae, scilicet Sancti Antonii, & Sancti Macharii, Armenae vero Sancti Antonii tantum Religiones respective ingredi, & in eis profiteri possint, apostolica auctoritate, tenore presentium perpetuo erigimus, & institimus;

§.6. Illoque sic erecto, & instituto pro ejus dote, & illius Alumnorum pro tempore existentium sustentatione, onerumque ei incumbentium supportatione redditus annuos, & perpetuos per eundem Fratrem Antonium Cardinalem ad eum, effectum, ut praefertur, assignatos, seu assignandos, & e manibus ipsius Fratris Antonii Cardinalis quoad vixerit, seu ab eo deputati capiendos, & exigendos tot videlicet loca montium non vacabilia de Urbe, ex quibus ad minus octingenta, & quadraginta tria annua scuta percipiuntur, dicta auctoritate etiam perpetuo applicamus, & appropriamus.

§.7. Ac pro tempore existentibus Alumnatus sic noviter erecti hujusmodi Alumnus, aliisque personis, ut omnibus, & singulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, gratiis, & indultis univertis, quibus alii dicti Collegii Alumnus in eo nunc, & pro tempore degentes de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut aliis pro tempore quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite poterunt quomodolibet in futurum similiter, & pariformiter, ac sine ulla prorsus differentia, non solum ad eorum instar, sed etiam eque principaliter, uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite valeant auctoritate, & tenore praemis similiter perpetuo de speciali gratia indulgemus.

§.8. Praeterea jus nominandi Alumnos praedictos ex Aethiopia, sive Abissina, & Bracmana, seu Armena nationibus, ut supra oriundos, ac juxta modum, & formam supra dictas, & non alias sub poena nullitatis nominationum hujusmodi eo ipso ad tredecim pro nunc, & si aliquando illa tractu temporis augeri contingat, etiam ad alia sic erecta loca Alumnatus noviter erecti praedicti tam hac prima vice a primava illorum erectione, & institutione hujusmodi quatenus alias pro tempore quovis modo vacatura, in locis hujusmodi, previa tamen diligenti inquisitione per Cardinales a praedicta Congregatione de Propaganda Fide deputandos, faciendi super eorum qualitatibus, ut supra requisitis, & quod illi in eis concurrunt per ejusdem Congregationis Cardinales praedictos ad praedictam nominationem, & non alias confirmandos, seu instituendos, ac ponendos, & collocandos dicto Fratri Antonio Cardinali donec vixerit, eo vero defuncto, dilectis filiis nostris Francisco Sancti Laurentii in Damasco Barberino nuncupato dictae S.R.E. Vice-Cancellario, & Antonio S. Agathe Diaconis respective nun-

ri praerogati ali qua adhibita differentia.

Dotem pro illorum sustentatione assignat.

Ceterorum Alumnorum privilegii particeps facit.

Jus nominandi Familiae Barberinae servat.

nuncupatis Cardinalibus ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Camerario nostris secundum carnem ex Fratre Germano Ne-

Regimen hujusmodi Alumnorum Congregationis de Prop. Fide adicit.

§.9. Praeterea dicto Antonio Cardinali quoad vixerit, ac eo defuncto praedictae Congregationi de Propaganda Fide tam per praesentes sic noviter erecti, quam alterius per dictum fratrem Antonium Cardinalem, ut praefertur, fundati, & per Nos in aliis nostris literis supradictis instituti Alumnatum hujusmodi, cujus jus nominandi, etiam semper salvum sit, ut praefertur, omnimodam protectionem, regimen, gubernationem, & plenam superintendentiam, itaut tam ipsi Antonio Cardinali quoad vixerit, quam post ejus obitum dictae Congregationi liceat corporalem possessionem locorum montium assignatorum, aut assignan. tam praedicto priori Alumnatum, quam huic posteriori propria auctoritate libere apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, jura, obventiones, & emolumenta, quaecumque ex eis provenientia percipere, exigere, levare, & in dictorum Alumnatum usus, & utilitatem convertere, Vicarii Urbis, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, necnon facultatem amborum Alumnatum hujusmodi locorum vacantium redditus in Monte Pietatis de Urbe deponendi, & in necessitates eorum Alumnatum impendi, vel iis cessantibus ad hoc, ut numerus Alumnorum arbitrio dictae Congregationis habenda coram Romano Pontifice pro tempore existente, tantum, augeri possit, investiri mandandi, ac deputandi in Re-

ctorem dictorum Alumnatum per ejus patentes Rectorem pro tempore dicti Collegii, cujus cura immediate subsint eorum Alumni, quique praedictae Congregationi, seu ab ea deputando singulo trimestri rationem dati, & expensi reddere debeat, & insuper curandi, ut Ministri, & Servientes Alumnatum praedicti Collegii de Propaganda Fide etiam Alumnis praedictorum duorum Alumnatum ministrant, & inserviant exceptis duobus Praefectis pro Alumnis praedictorum duorum Alumnatum ab eodem Fratre Antonio Cardinale dum vixerit, & post ejus mortem, ab eadem Sacra Congregatione de Propaganda Fide deputandis, qui Praefecti, ut supra deputandi inter ceteras qualitates habiles sint ad docenda prima rudimenta Grammaticae Latinae Alumnis praedictorum duorum Alumnatum idque efficere teneantur donec praedicti Alumni Scholas publicas adire, & frequentare valeant simili auctoritate itidem perpetuo tribuimus, & impertimur.

§.10. Decernentes praemissa omnia, & singula, ac casum praesentes ullo umquam tempore ex quibuscumque causis de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostrae, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, retractari, seu etiam revocari, suspendi, restringi, limitari, aut in jus, vel controverfiam vocari, seu ad terminos juris reduci non posse, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, & Camerarij Apostolicae Praesidentes Clericos, & ejusdem S. R. E. Camerarium, & alios Cardinales, ac Vice-Cancellarios necnon causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiti debere ac irritum, & inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.11. Quocirca dilectis filiis moderno, & pro tempore existentibus Urbis Gubernatori, ac Causarum Curiae Camerae Apostolicae Generali Auditori, necnon nostro in eadem Urbe, & ejusque districtu Vicario in spiritualibus generali per apostolica scripta motu simili mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes literas, & in eis contenta quaecumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte interesse habentium fuerint requisiti solemniter publicantes eisque efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra eisdem praesentes, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit firmiter, & inviolabiliter observari, & nunc, & pro tempore interesse habentes praedictis illis pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari; Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia

Reclotis manus.

Ac Praefectum.

Clausula.

Exequutorum deputatio.

media appellatione postposita compescendo, ac censuras, & poenas ipsas servata forma Concilii Tridentini, & iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Delegatio contratorum.

§.12. Non obstantibus aliis nostris literis praedictis, si in aliqua huic nostrae gratiae conformes non sint, aut contrariantur, necnon nostra de gratis ad instar non concedendis, & quibusvis Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, ac Collegii, & Urbis praedictorum statutis, & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis praed. Congregationi, & quibusvis Universitatibus, Collegiis, eorumque Superioribus, Deputatis, Rectoribus, Alumnis, & aliis personis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogationibus, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, aut alias quomodolibet in contrarium concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem impertantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquista forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse motu hujusmodi derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab apostolica sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Transumptis danda fides.

Clausula penales.

§.13. Volumus autem, quod praesentium literarum transumptis, etiam impresis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo dictae Congregationis, aut alicujus Curiae Ecclesiasticae, seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, in Judicio, & extra, ubicumque opus fuerit, quae adhibetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensa.

§.14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, indulti, reservationis, concessionis, assignationis, tributionis, impertitionis, decreti, mandati, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorum Anno Incarnationis Dominicae 1639. 11. Kalen. Julii, Pontificatus nostri Anno XVI.

Dat. die 21. Jun. 1639. An. XVI.

DCXVI.

Abrogat omnia, & singula Privilegia personalia per Religiosos Congregationis Clericorum Regularium Minorum nuncupatorum obtenta, quae eorumdem Constitutionibus adversantur.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex, aequi, bonique supernus assertor, gregi Dominico a Deo, & Salvatore nostro praepositus, ut juxta verbum propheticum noxia evellat, & destruat, utiique plantet, & aedificet, ea quae rationabilibus ex causis etiam a Sede Apostolica concessa sunt, ipsa subinde rerum experientia suadente, & majoribus ex causis quibus praesertim felici Christianissimum famulantium statui, & salubri gubernio consulitur, revocat, in hisque sua sollicitudinis studium interponit, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Procurator.

§.1. Cum itaque, sicut dilecti filii Capitulum Generale Congregationis Clericorum Regularium Minorum nuncupatorum Nobis nuper exponi fecerunt, alias diversi dictae Congr. Clerici a Sede Apostolica, & a nonnullis, qui pro tempore fuerunt S. R. E. Cardinalibus ejusdem Congregationis apud Nos, & eandem Sedem Protectoribus, frequentius vero a Nunciis Apostolicis varia privilegia, concessionis, & indulta, dispensationes a Regulis, necnon exemptiones a Constitutionibus, & aliis d. Congregationis Ordinationibus, etiam apostolica auctoritate confirmatis minime conformia, imo contraria obtinuerint, nempe ut redditus administrare, elemosinas certis usibus applicare, suffragium, sive votum perpetuum in Capitulis habere, ab aliqua domo non removeri, socium certum habere, & alia hujusmodi facere possint: experientia vero compertum sit, praemissa omnia observantiae regulari non leviter officere: Nobis propterea iidem dilecti filii Capituli Generale communi omnium illius Vocalium nomine humiliter supplicari fecerunt, ut infra, providere de benignitate apostolica dignaremur.

Causa hujus Congr.

§.2. Nos igitur eosdem exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latens, C c tis,

Annullae privilegia prout in Rubrica.

tis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, prefata omnia privilegia, concessionis, & indulta, ac dispensationes, & exemptiones hujusmodi, & quævis alia hic non expressa, aliis, ut prefertur, ab ipsius Congregationis Clericis obtenta quomodolibet, quæ quoquo modo ejusdem Constitutionibus, & Ordinationibus adversantur, apostolica auctoritate, tenore presentium perpetuo cassamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu vacuumus.

§.3. Et insuper, ne de cætero perpetuis futuris temporibus similia privilegia, concessionis, & indulta, aliaque supra expressa, cuiquam ullatenus concedantur, nec a quoquam absque Capituli Generalis dicte Congregationis licentia impetrentur, statuimus, & ordinamus: & nihilominus omnia, & singula aliis quam, ut prefertur, concessa, & quomodolibet impetrata, nulla, & subreptitia fore, & cæteri, nec cuiquam ullatenus suffragari.

Decretum irritans.

§.4. Ac presentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suoque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, inviolabiliter, & inconcussè observari: sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogat contrariis.

§.5. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dicte Congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis quibusvis ipsius Congregationis Superioribus, & personis, sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, in genere, vel in specie, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

§.6. Quibus omnibus, & singulis, etiam illorum pro sufficienti derogatione specialis specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque: Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommu-

nicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indultis hujusmodi mentionem.

Transumptis credi jubet.

§.7. Volumus autem, quod presentium transumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo dicte Congregationis, seu alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem, prorsus in iudicio, & extra adhibeatur fides, quæ adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensa.

Dat. die 22. Junii 1639. An.XVI.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 22. Junii 1639. Pontificatus nostri Anno XVI.

DCXVII.

Declarat, quod in Monasteriis S. Basilii del Tardon, & S. Antonii de Gualliguillos Choristas, & Sacerdotes quartam Laici vero alias tres partes constituant.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

IN his Pastoralis officii nostri partes libenter interponimus, per quæ Personarum regularium, quæ spretis Mundi vanitatibus totas se Deo devoverunt, statui, & quieti opportune consili judicamus.

Exordium.

§.1. Alias siquidem fel. rec. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster certior factus, quod ex duorum Eremitorum, videlicet Eremitæ del Tardon Cordubensis, & Vallis de Gualliguillos Hispalensis Diocesis in Monasteria Ordinis S. Basilii Magni per pia mem. Gregorium Papam XIII. etiam Prædecessorem nostrum erectorum, cum alio Monasterio S. Mariæ de Oviado Ginnensis, a similibus rec. mem. Pio Papa IV. etiam Prædecessore nostro prius erecto in unam Provinciam S. Basilii Hispaniarum nuncupandam, necnon aliis Monasteriis in Hispaniarum Regnis imposterum construendis unione a prædicto Gregorio Prædecessore facta, multæ contentiones inter dicte Provincia Monachos super modo vivendi exorta fuerant; ut contentionibus hujusmodi finem imponeret, dicte duo Monasteria S. Basilii Eremitæ del Tardon, ac etiam S. Antonii de Gualliguillos in Monasteria reformationis, & vere ejusdem S. Basilii Regule Observantiæ deputavit, constituit, & separavit, ad quæ se recipient omnes, quotquot in dicte Provincia Monachi zelo Dei, & Spiritu sancto ducti tanti Patriarchæ præcepta, & instituta desiderarent observare, quæ juxta nonnullas Constitutiones pro dicte Reformatione a se tunc editas jussit in omnibus, & per omnia practicari, & aliis, prout in ejusdem Clementis Prædecessoris literis in simili forma Brevis hac super re emanatis, quarum tenores presentibus pro expressis haberi volumus, plenius continetur.

Cura

Præfinit numerum Choristarum.

§.2. Cum autem, sicut accepimus, licet idem Clemens prædecessor majorem, & principalem partem Monachorum hujusmodi ex laicis esse voluerit, & sufficientes Choristas, & Sacerdotes ad Chori, & divinatorum officiorum ministeria haberi permiserit; quia tamen certum eorumdem Choristarum, & Sacerdotum numerum non præfinit, nonnulli inter laicos ex una, & Choristas, ac Sacerdotes hujusmodi ex altera partibus eapropter controversiæ exorta fuerint;

§.3. Nos, ut semotis quibusvis perturbationibus, & dissensionibus Monachi prædicti juxta laudabile eorum institutum, & ad præscriptum literarum ejusdem Clementis prædecessoris in pacis amonitate, & tranquillitate vivant, & felicioribus in dies in via Domini proficiant incrementis, quantum cum Domino possumus, providere volentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolica potestatis plenitudine, quod de cætero perpetuis futuris temporibus in prædictis S. Basilii del Tardon, & S. Antonii de Gualliguillos Monasteriis inter Choristas, & Sacerdotes non possint esse, nisi unus ex quibuslibet quartum, itaut quarta pars Monachorum cujuslibet ex dictis duobus Monasteriis sit ex Choristis, & Sacerdotibus, & relique tres partes sint laici, ac donec Choristæ, & Sacerdotes, qui ad presens sunt in eisdem Monasteriis ad numerum prædictum redacti fuerint, alii in Choristas, & Sacerdotes hujusmodi recipi non possint, sub pœna nullitatis receptionis hujusmodi, & inde sequendorum quorumcumque tenore presentium statuimus, & ordinamus. Nihilominus prædictas Clementis prædecessoris literas innovantes, illas prout dispositum, etiam quoad Capit. 7. prohibens studium philosophiæ, & theologiæ, & alia in eo expressa sub excommunicationis, ac privationis vocis activæ, & passivæ pœnis omnino observari præcipimus, & mandamus.

Decretum irritans.

§.4. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios judicari, & definiti debere, irritumque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Contrariis derogat.

§.5. Non obstantibus in his, quæ presentibus adversantur, prædictis Clementis prædecessoris literis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Monasteriorum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordinis, ac Monasteriis, illorumque Superioribus, Monachis, & personis, ac quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, & aliis

Bull. Rom. Tom. VI. P. 11.

efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus, in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam pro sufficienti illorum derogatione de illis specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 10. Julii 1639. An.XVI.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 10. Julii 1639. Pontificatus nostri Anno XVI.

DCXVIII.

Indulgentia Plenaria perpetua pro Confratribus, & Conforibus Confraternitatis, sub invocatione Conceptionis B. Mariæ Virginis loci de Chaul Goensis Dioc. in Indiis Orientalibus.

De modo aggregandi Confraternitates lege Constitur. Clementis VIII. Quæcumque. Tom. 5. Par. 5.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

CUm, sicut accepimus, in Ecclesia Sanctæ Barbaræ Domus Fr. Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia loci de Chaul Goensis Diocesis in Indiis Orientalibus una pia, & devota utriusque sexus Christianissimum Confraternitas sub Invocatione Conceptionis B. Mariæ Virginis, non tamen pro hominibus unius specialis artis, canonice erecta, seu erigenda existat, cujus Confratres, & Conforibus quamplurima pietatis, & charitatis opera exercere consueverunt.

Motiva.

§.1. Nos, ut Confraternitas prædicta majora in dies, suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei Misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christianissimilibus, qui dicte Confraternitatem imposterum ingredientur, postquam erit canonice instituta, die prima eorum ingressus, si vere poenitentes, & confessi SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, Plenariam; necnon tam descriptis, quam pro tempore describendis in dicte Confraternitate Confratribus, & Conforibus, in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes, & confessi, ac sacra Communionem refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu

Indulgentia plenaria in ingressu.

C c 2